

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Rationes negantium artem suppositam in spiritibus una cum corporibus
sigendis. Cap. VXII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

& turia excusamur à majori labore, qui est ex remotione adustionis. Hæc enim sulphureitatem & combustibilitatem adustibilem non habent, sed solam fugam & terreitatem immundam. Magnesiæ vero & marchesitæ omne genus sulphureitatem habent, plus tamen marchesita : minus vero magnesia : fugam tamen omnes habent, plus tamen argentum vivum, & sal ammoniacum, minus vero sulphur; adhuc vero minus suum comparat arsenicū, & adhuc minus marchesita, quinto vero & magnesia minus illa, sexto vero & ultimo minime omnium turia. Utraque tamen fuga participat : alia tamen plus, alia vero minus : & ideo propter illorum fugam spirituum, cuidam supervenit experimentatori delusio vehemens, in illorum operationibus præparationum & ipsorum projectionibus similiter. Ideoque & ipsi arguunt & interimunt ut in sulphure supponentes, & eisdem ut in sulphure supponentibus respondemus.

Rationes negantium artem suppositam in spiritibus una cum corporibus figendis.

CAP. XVII.

Sunt autem alii intendentes in experientis qui voluerunt spiritus in corporibus figere, nulla alia præparatione

B 5 huic

huic præveniente : sed eisdem delusio similiter mœrorem , & angustias attulit , & desperationem , & coacti sunt ex eo , hanc scientiam contemnere & contra ipsam arguere. Est autem turbationis illorum ac credulitatis causa hæc , quod in fusione corporum per ignem , spiritus corpora illa relinquunt , nec eis adhærent firmiter : imo asperitatem ignis fugiunt , permanentibus in ea solum corporibus : quoniam pressuram impietatis ignis illi compati propter fugam non possunt , quæ ab eis non est ablata. Accidit similiter & quandoque delusio alia , quia & cum iisdem corpora ignem effugiunt : & ratio est hæc , quia cum non fixi spiritus corporum profundo inseparabiliter adhæserunt , spiritibus fugientibus necesse est corpora secum elevare : quoniam volatilis summa , summam fixi superat. Unde & similiter ut primi arguunt , & similiter ut primis , eis respondemus. Tota ergo illorum reprobatio & error hic est. Si corpora , filii doctrinæ , vultis convertere seu transmutare , tunc si per aliquam materiam fieri hoc possibile sit , per spiritus solos contingere necesse est : Sed spiritus non fixos corporibus utiliter adhærere vel adungi non est possibile , ut supra diximus : imo fugiunt & corpora inalterata & immunda relinquunt. Ipsos autem fixos non est possibile ingredi , cum sint ter-

rea

reæ naturæ, quæ non funditur : & licet inclusi corporibus propter debilem ignem fixi apparent , non tamen sunt , quia in ignis expressione aut ab ipsis corporibus aufugiunt ipsis manentibus , aut ambo simul recedunt. Cum igitur in materia propinqua & magis affini , nullis modis hanc artem invenire sit possibile : in magis ergo remota minus invenietur , ergo nusquam. Responsio utique nostra hæc est : quoniam quod scibile circa hoc est , non totum sciunt : ideo nec operatum totum inveniunt. Consequentis igitur vitium per insufficientiam ponunt ipsorum eorum robur.

De negantibus artem in corporibus suppositam. Et primo in plumbo albo, stanno seu Iove, & eorum confutatio.

CAP. XVIII.

Quidam autem hanc artem posuerunt in corporibus : cum autem ad opus pervenerunt delusi sunt existimantes plumbum utrunque lividum scilicet & album , albedine non pura multum naturæ solis & lunæ assimilari & approximare : lividum quidem multum solis, lunæ vero parum, album vero lunæ multum , soli vero parum.